

num obtineant, binasq; & inæquales meridianas altitudines nanciscantur, anceps erit earum ad præsens problema accomodatio, nisi simul compertum habeas, utram stellæ altitudinem obseruaueris, maiorem scilicet an minorem, quod quidem facile internosces, si stellam placitam cum Cynosura contuleris. Nam si stella tua meridianum occupans circulum, uicinior fuerit horizonti quam ipsa stella polaris, minimam eius altitudinem te depræhendisse scias. Si uero remotior ab eo cernatur, maxima eius eleuatio per instrumentum excepta est. Stellæ itaq; notam in simili situ statue, & armillam meridianam hac atq; illac transmoue, donec altitudo stellæ ueluti circa Solem actum est, exprimetur, mox enim intueberis eleuationem poli Vrsini supra horizontem tuum, quam quidem æquare perhibetur latitudo regionis tuæ quæsitæ.

Aliter idem tempore meridiano inuestigare.

CAPVT VIII.



Srige globum ad æquidistantiam horizontis, atq; lineæ meridianæ iuxta capitis secundi doctrinam, postea applica gnomonem sphaericum super locum Solis in ecliptica, & expecta, donec Sol directe meridianum possederit, quod scies per armillam meridianam globi huius; cum nullam neq; orientalem, neq; occidentalem dederit umbram. Et tunc eleua uel deprime globum mediante hac armilla meridianâ; donec radij Solares supra gradum Solis eiusdem diei per foramina gnomonis sphaerici ceciderint. Tutelam diligenter caue, ne loco forte moueatur globus, nam si firmum & immorum retinueris globum, uidebis proculdubio in parte septentrionali armillæ meridianæ supra horizontem ibidem gradus eleuationis poli, siue latitudinem tuæ regionis.

Hæc eadem omni momento capere.

CAPVT IX.



Dirige gradum Solis tuæ obseruationis sub armillam meridianam, & in tali situ duc etiam indicem horarium ad 12. meridiæ horam. Deinde Sole irradiante, applica gnomonem sphaericum gradui Solis tuæ obseruationis in ecliptica, globo tamen antea ad æquidistantiam horizontis & lineæ meridianæ, iuxta capitis secundi præceptum ordinato, & obserua studiosissime, siue per compasum, siue per correctum aliquod horarium, certam aliquam horam una cum suis minutijs, deinde reuoluens globum, donec index, ut dicunt, horarius, horam scilicet obseruatam tibi in dicto horario siue compasso recto, per armillam horariam indicauerit. Porro globum unâ cum armilla meridianâ immobilem seruare debes, ne aliò quam oportet inclinet, eleuando tamen uel deprimendo armillam meridianam, donec radius Solis per ambas scissuras gnomonis sphaerici supra gradum Solis in ecliptica ceciderit, tunc enim uidebis gradus eleuationis poli septentrionalis in armilla meridianâ à polo horizontem uersus, descendendo in numero.

Amplitudinem ortiuam, quod alij Zenith ortus & occasus Solis ac stellæ, uel puncti cœli cuiuscunq; addiscere.

CAPVT X.

Zenith